



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. De interpretatione & extensione consuetudinem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ad præscriptionem non sufficit) sed expressè eam prohibendo, requiritur cum titulo (saltem colorato) 40. annorum tempus, vel sine titulo tempus immemorabile, id est, tempus, de cujus initio memoria non exstat. Requiritur autem, ut hæc etiam consuetudo, cuiuscunque temporis illa sit, si viâ præscriptionis novum jus introducere debeat, legitimo tempore sit continuata, & semel cœpta, nullo actu contrario sit interrupta, juxta communem Doctrinam de præscriptione.

Resp. 2. Quamvis multi valdè probabiliter doceant non requiri bonam fidem ad introducendam consuetudinem præter legem, cum actus mali in tali casu non tam sint causa consuetudinis, quam indicia consensus Principis, vel juris; & consuetudo in facto esse honesta sit, ac rationabilis, & utilis communi bono, licet in fieri peccatum includat: probabilius tamen distinguunt alii, & concedunt quidem, quòd ad consuetudinem viâ conniventia introducendam, non requiratur bona fides, quia princeps in tali casu sciens & tolerans actus ad consuetudinem introducendam requisitos, quos faciliè prohibere posset, si vellet, meritò censetur ad introducendum jus consuetudinis consentire; quòd si tamen viâ præscriptionis, & ignorante Principe novum jus consuetudinis introducat, tunc bona fides, aut probabilis ignorantia præscribentium, quæ actus suos malos esse ignorant, requiritur, cum ex regula 2. in 6. Possessor malæ fidei nullo tempore præscribat, ita ut nec incipere, nec currere possit cum mala fide præscriptio.

§. VII.

De interpretatione & extensione Consuetudinis.

Consuetudo, quæ est secundùm legem duplicem habet effectum. Primus est legem scriptam declarare, vel interpretari, si sensus illius dubius sit sive obscurus c. cum dilectus 8. h. e. ubi dicitur, consuetudo optima legum interpretres. Secundus est, quòd legem confirmet: *instituantur enim leges, cum promulgantur; firmanur, cum moribus utentium approbantur*, dicitur in *Can. in istis. distinct. 3.* Si tamen consuetudo sit præter, vel contra jus, & huic repugnet, ordinariè & regulariter extendi non debet ab hoc casu ad alium; vel ab uno loco ad alium, vel à Persona ad Personam, cum enim sit stricti juris, consequenter tantum habet de potentiâ, quantum de usu, nisi subinde similis æquitatis ratio similia jura suadere videatur: & hinc, si consuetudo aliqua à solis Laicis observata fuit in materiâ merè civili cum consensu etiam laici Magistratus, non obligat illa Clericos, qui sunt diversi fori, nisi nihil illa præjudicaret immunitati Ecclesiasticæ, & non tam onerosa esset, quam pro communi civium, quæ talium, bono, quo in casu saltem indirectè obligarentur Clerici: si verò consuetudo versetur circa materiam merè spiritualem, obligabuntur illi Clerici & Laici, & quidem ex consensu Prælati Ecclesiastici tantum, cui in ordine ad talem materiam tam Laici quam Clerici subijciuntur.